



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 56. Gerbertus Archiepiscopus Ravennas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

se versatum Papa sæpe mensæ adhibuit, Sæculum X.
A. C. 998.
& in Franciam remisit, postquam omnia, quæ petebat, concessisset. Neutiquam
vero pecuniam more Antecessoris sui ab
eo petiit, quin thure eum donavit & Ca-
sula, qua Missam celebrans uteretur.
Privilegio etiam Abbatiam Floriacensem
munivit, in quo præter alia statuebatur,
ne liceret Episcopo non invitato ad eam
venire, & nulli Episcoporum (*) fas esset
eidem Monasterio Sacris interdicere,
etiamsi toti Galliæ interdiceretur.

§. LVI.

Gerbertus Archiepiscopus Ravennas.

Abbo in Franciam redux Arnulphum,
quem Rex e carcere (**) liberaverat, in
Sedem

(*) Justa causa extitisse poterat prohibendi,
ne pro illo tempore Episcopus Diœcesanus Mo-
nasterium Floriacense Interdicto subjiceret. An
vero etiam Episcopi Successores, innocentes, Ju-
risdictione in hoc Monasterium sibi jure Divino
collata & acquisita privari potuerint, difficilis
est quæstio. Observabit Lector Historiæ Eccle-
siasticæ studiosus, hoc Sæculo usum Plenitudinis
potestatis Pontificiæ ad plura, quam prioribus
Sæculis, extendi cœpisse.

(**) De Carolo, Franciæ Principe, etiam in
carcere

Sæculum x.
A. C. 998.
Sedem Remensem restituit, eique Pallium de manu Pontificis acceptum tradidit. Data deinde ad Summum Pontificem epistola rationem factorum reddidit, nempe integerrima fide se ejus mandata executum, Robertum vero Regem Sacræ Sedis Decreta submisisse venerari, Papam rogans, ut Arnulphum suo hortatu ad reconciliandos Clericos suos, & *Abb. ep. 1.* Bona Ecclesiæ suæ per litem inter ipsum & Gerbertum exortam amissa iterum vindicanda excitaret. In illa Epistola Abbo se tam Arnulphi, quam Gerberti amicum profitetur.

Gerbertus hoc modo Archiepiscopatu Remensi privatus ad Ottonem Imperatorem se contulit, & apud ipsum Magdeburgi versatus construxit horologium sua positione ad stellam Polarem directum. Postmodum eidem Imperator Episcopatum Ravennatensem contulit, & Gregorius Papa Pallium misit, addita epistola, in qua hanc Ecclesiam multis opibus donabat, ejusque privilegia antiqua omnia confirmabat. Hæc epistola mense Aprili, Indictione undecima, nempe anno nongentesimo nonagesimo nono,

carcere Aurelianensi detento, ejusque filiis, nihil certi amplius Historia tradit.

Greg. 5.
ep. 2.
tom. 9. Conc.
p. 753.

nono, data est. Anno superiore idem Sæculum X.
 Papa Joanni Archiepiscopo Ravenna- A. C. 998.
 tensi, Gerberti Antecessori, Ecclesiam Greg. V.
 Placentinam, ipsi a Joanne Papa XV. in- ep. I.
 iuste (*) ablatam, ut eam in Archiepi-
 scopatum evedtam Philagatho conferret,
 reddiderat. Gregorius V. eidem Epi-
 scopatum Monteferetrarum subjecit.
 Prima die Maji, eodem anno nongente- tom. 9. Conc.
 simo nonagesimo octavo, Indictione un- p. 766.
 decima, Gerberto Archiepiscopo Con-
 ciliium celebranti, adfuere Episcopi no-
 vem, omnes Suffraganei. Tres Cano-
 nes conditi. Primus damnat pessimam
 consuetudinem in consecratione Episco-
 porum introductam, qua Subdiaconus
 Corpus Domini Nostri, id est, Hostiam
 quam inter consecrationis Caremonias
 accipiebant, eis vendebat. Prohibetur
 etiam, ne Sacrum Chrisma Archipres- c. 3.
 byteris venumdetur. Canones de Ir-
 regularitate, quæ Ordinationem impe-
 dit, servari jubentur. Cavetur, ne
 quis pro sepultura pretium exigat.

§. LVII.

(*) Sunt verba ipsius Pontificis Gregorii ep. I.
 ad Joann. Ravenn. Archiep. Act. Conc. pag. 739.
 ad ann. 998.

Hist. Eccles. Tom. XIII. B b b